



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

2. De appetitu sensitivo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

quo non proponuntur. Deinde potest cognoscere illa, obiecta esse nociua vel proficua, & potest cognoscere quod talia obiecta fuerint ante se cognita; neque vllus, quod sciam, posuit in Angelo plures potentias cognoscitivas realiter distinctas correspondentes his actibus: ergo vnica potentia realis potest habere omnes illos actus, & consequenter ad eos habendos non sunt potentie plures potentie realiter distincte.

Nec diuersitas actuum, aut obiectorum prorsus sufficit ad illam multiplicationem faciendam: quamvis enim potentie specificentur ab obiectis, & actibus, hoc tamen non ita intelligitur quasi eadē realis potentia nō posset per plures actus diuersissimæ rationis tendere in plura obiecta: sed ita, vt si sit aliqua potentia tendens in obiectum in quod altera potentia realiter distincta tendere nequeat, ex hoc distinctio illarum specifica colligi possit.

4. *Obijciens primo:* Philosophus agit de sensu communi, & Phantasia tanquam de potentiis distinctis: prius enim agit de Sensu communi, & postea de Phantasia: ergo secundum ipsum sunt potentie distincte.

Respondet distinguendo antecedens: tanquam de potentiis distinctis realiter nego, formaliter, transeat; & nego consequentiam. Fateor tamen, aliqua loca Philosophi fauere aduersariis; & si auctoritatem spectes, eorum sententiam esse probabilem: quantum autem ad rationem, quæ præcipue spectanda est Philosopho in rerum naturalium indaganda natura, Conclusio nostra longe probabilior est.

Obijciens secundo: in aliquibus animalibus reperitur sensus communis sine memoria, ergo saltem hæ potentie sensitivæ distinguuntur realiter.

Respondet distinguendo consequens: secundum suas rationes formales, vt sic, nego consequentiam: secundum rationes particulares alicuius sensus communis & alicuius memoria, concedo consequentiam. Itaque non dubitatur, quin sensus communis in aliquo animali possit esse distinctus realiter ab omni memoria, quando nulla memoria reperiri posset in illo animali; sed difficultas est, an sensus communis reperiatur in eodem animali cum memoria, distinguatur realiter ab illa memoria: & nos tenemus partem negatiuam. Et sicut non valet inferre ex eo, quod animalitas possit reperiri absque rationalitate, quod animalitas, & rationalitas in homine distinguantur realiter: ita non valet inferre ex eo, quod sensus communis in aliquo animali non habente memoriam reperiatur absque memoria, & distinguatur realiter à memoria: quod sensus communis hominis aut bruti habentis memoriam distinguatur realiter à memoria.

5. *Obijciens tertio:* in eodē animali sæpè læditur vna potentia, illa scilicet altera; hinc enim oritur, quod absque defectu vllō in sensu communi memoria deterior quandoque reddatur, & quandoque totaliter perdat: ergo signum est quod illæ potentie distinguantur realiter.

Respondet negando consequentiam: sed id oritur ex eo, quod dispositiones aliquæ requirantur ad exercendos actus memoriæ, v.g. quæ non requiruntur ad exercendos actus sensus communis, quæ dispositiones possunt deperdi per oppositas; & ita potentia, quamvis remaneat secundum se integra, tamen non poterit habere actus illos, quos alias habere posset.

CONCLUSIO II.

6. *Organum potentie internæ sensitivæ est cerebrum.* Hæc est Gall. 1. de usu partium c. 8 quem sequitur Doctor 1. q. 10. de anima. D. Thomas 1. p. q. 8. ac Doctores communiter, contra aliquos, qui illud collocant in corde, quibus fauere videtur Philosoph. in lib. de somno & vigilia.

Probat autem sufficienter: quia quantum ad omnem experientiam nostram, apparent actus sensus interni esse in capite, & non in corde, aut alia parte; nec est vlla inconuenientia in hoc, quod dicantur esse producti in capite solo, aut vlla ratio, ex qua colligatur quod decipiatur dū videtur nobis eos experiri in capite: ergo dicendum est, quod in eo producantur, & consequenter quod sensus internus habeat organum suum in capite. Quod

si dicatur semel esse in capite, nulla pars capitis magis apta est quam cerebrum pro hoc munere: ergo signum est quod sit in cerebro.

Confirmatur: quia læso capite minus habiles sumus ad illos actus eliciendos, & qui vehementer speculantur, solent dolere potius capite, quam corde: aut alia parte: ergo verisimilius est illas operationes produci in capite quam in corde, aut vlla alia parte.

7. *Confirmatur secundo:* quia non est verisimile, quod resideat in Meningis, hoc est, in duabus membranulis circumdatis cerebrum, horum enim vsus videtur esse tantum conseruare, ac continere cerebrum; nec etiam in concauitatibus, quæ reperiuntur in cerebro, quia illæ concauitates repleri solent excrementis cerebri, nec est verisimile potentiam tantæ perfectionis residere in excrementis: ergo debet collocari in ipso cerebro. Quia autem parte cerebri collocanda sit, non credo vlla experientia nostra, aut ratione sufficienter colligi posse.

Obijciens Philosophum, qui variis locis ait sensus internos residere in corde.

Confirmatur: quia cerebrum non continuatur cum reliquo corpore, nec habet motionem vllam sensitivam; ergo non est organum sensus interni.

Respondet Philosophum sic explicandum, vt velit sensus internos residere in corde, quatenus habent dependentiam à spiritibus vitalibus generatis in corde, & inde communicatis sensibus internis. Quod si hæc explicatio non placeat, præferendum est eius auctoritati fundamentum Conclusionis, & auctoritas eorum qui eam tenent.

Ad confirmationem respondet negando antecedens pro prima parte & pro secunda ipsum distinguendo: nullam habet motionem sensitivam internam, nego antecedens habet enim motum actum cognoscitiuorum internorum; nullam habet motionem sensitivam externam, quæ scilicet correspondeat vlli sensui externo, concedo antecedens, & nego consequentiam.

QVÆSTIO II.

De appetitu sensitivo.

8. **N**on agitur hic de appetitu innato, qui non est actus aliquis elicitus, nec principium eius; nec supponit cognitionem rei circa quam fertur; sed est inclinatio rei ad suam perfectionem; nec minus competit animantibus, quàm inanimatis; sed de appetitu elicitu, quæ est potentia illa sensitiva materialis, à qua prosequimur bonum sensibile propositum nobis per cognitionem, & fugimus malum sensibile, similiter propositum; qualem dari in animalibus irrationalibus certum est experientia quotidiana, & in hominibus etiā cum dari patet tum quia sunt animalia non minus quàm alia, & hic appetitus conuenit animali, quia animal: tum quia pueri ante usum rationis appetunt aliqua, & aliqua fugiunt; tum quia sentimus in nobis desideria quadam boni delectabilis in parte sensitiva contrariante voluntate; tum denique quia sicut datur in nobis sensus internus cognoscitiuus distinctus à ratione, non potest esse dubium quin detur etiam in nobis potentia appetitiua conformis ipsi, distincta à voluntate rationali. De hoc ergo appetitu hic examinandum præcipue, an vnus sit tantum realiter; an vero plures in quolibet homine. Qui diuidunt appetitum sensitivum in duas partes, concupiscibilem scilicet & irascibilem, & vtrique parti organum distinctum assignant, debent consequenter asserere duos esse ad minus appetitus sensitivos realiter distinctos; quam sententiam docere videtur Doct. in 3. dist. 34. m. 12. quem in eo secutus sum in Comm. eiusdem quæst. Eam tenet etiam Thom. 1. 2. q. 81. art. 3. cum suis ibidem, & Tolet. 3. de anima q. 26.

Qui vero non distinguunt has duas partes realiter, consequenter negat dari plures appetitus realiter distinctos, & ita sentiunt expresse Suarez. 3. de anima, & in tract. de habitibus, Auerſa q. 56. Philosophia, Hurrius hic.

CONCLV

Vnus tantum est appetitus elicitiuus in homine.

9. *Appetitus sensitius elicitiuus cuiusque actus prosecutionis, & fuge est vnus tantum in homine, & quolibet animali.* Hac est conformis secundæ sententiæ contra primam, non tamen contra Scotum, vt patebit paulo post.

*Probat*ur sufficientissime, quia non sunt multiplicandæ potentia vllæ animæ sine necessitate, sed nulla est necessitas ponendi plures huiusmodi appetitus realiter distinctos: ergo.

*Probat*ur minor, tum quia nulla est ratio, cur vna realis potentia non possit sufficere ad omnes actus eliciendos, qui attribuuntur potentia appetitiuæ; tum quia eadem voluntas potest habere tot actus & tam diuersos, ac disparatos, quot potest habere appetitus sensitius, & propterea potest considerari vt concupiscibilis, & vt irascibilis; concupiscibilis quidem vt principiat certos quosdam actus, irascibilis autem vt principiat alios: ergo similiter appetitus sensitius vnus realiter posset principiare omnes diuersos actus quotquot reperiuntur in parte sensitua, & vt principiat aliquos, vocari concupiscibilis; vt alios, irascibilis.

*Probat*ur secundo, quia vt suppono ex dictis, sensus internus cognoscitiuus, cuius est proponere appetitui obiectum suum, est vnus etiam secundum aduersarios: nam quamuis Thomistæ putent dari varios sensus cognoscitiuos internos realiter distinctos, tamen per eundem omnino sensum existimant proponi appetitui concupiscibili bonum, quod putant esse obiectum eius, & appetitui irascibili bonum arduum, circa quod versari debet: ergo etiam appetitus sensitius debet esse vnus tantum realiter.

*Probat*ur consequentia, tum quia non potius deberet multiplicari appetitus quam sensus internus cognoscitiuus, tum & præcipue, quia sicut voluntas & intellectus, licet distinguantur realiter ab anima, deberent tamen identificari inter se, vt postea dicetur; ita etiam appetitus sensitius & potentia sibi correspondens similiter identificari debent, propter easdem omnino rationes, quæ æque vtroque currunt, vt consideranti patet.

10. *Obijci* primo, ex Thomistis appetitus concupiscibilis & irascibilis habent diuersa obiecta & actus omnino dissimiles: ergo sunt distincti realiter.

*Respond*eo negando consequentiam, quia nihil impedit quominus vna & eadem potentia possit versari circa tam diuersa obiecta & per tam dissimiles actus, vt patet manifeste de voluntate & intellectu, ac sensu cognitiuo interno.

Obijci secundo, non solum auctoritatem Scoti supra expresse tribuentis diuersa organa vtrique appetitui: sed rationem etiam eius, nempe quod idem organum non possit moueri motibus diuersis simul & semel v.g. calefactionis & frigefactionis, dilatationis & constrictionis: sed, quando irascitur quis mediante appetitu sensituo irascibili, dolor, quem sentit tum in parte concupiscibili, sic cum restrictione & frigefactione: ergo isti dolores non sunt in eadem parte, sed in distinctis partibus realiter: sed partes corporis, in quibus isti dolores sunt, sunt organa appetituum istorum: ergo habent distincta organa realiter, & consequenter ipsimet erunt sic distincti, sicut visus & gustus distinguuntur realiter ex eo, quod habent diuersa organa.

11. *Vt soluat*ur hæc obijctio, & aperiatur mens Scoti, aduertendum appetitum sensituum in homine habere duo munera, vnum prosequendi & fugiendi aliqua obiecta per actum elicitem, & alium sentiendi molestiam aut voluptatem ex propositione intentionali aliquorum obiectorum. Quod si delectatio huiusmodi & molestia sentiantur aut in corde, aut circa cor, & non in capite, vbi residet sensus cognoscitiuus internus, tum admitteendi sunt duo appetitus realiter distincti, vnus in corde, aut circa cor, cuius sit delectari, & dolere, seu tristari; non vero velle aut nolle, siue prosequi aut fugere vllum obiectum; alius vero in capite identificatus sensui interno, cuius est prosequi conuenientia, & fugere

inconuenientia. Scotus ergo & ratio ipsius, solum intelligi debent de appetitu, cuius est delectari & dolere sensibilibiter; & possunt esse plures inter se distincti, si diuersæ sint partes corporis, in quibus molestia illa & delectatio sentitur; nec hoc est contra Conclusionem, quæ loquitur de appetitu elicitiuo operationis, quæ prosequitur quis aut fugit obiectum sibi propositum. An autem dentur huiusmodi appetitus interni sensitui, in quibus sentitur dolor & voluptas, non aliunde magis quam experientia colligi potest, & satis faceret parti affirmatiuæ experientia, quam habemus de motibus, quos sentimus in corde, aut circa cor, quando proponuntur certa obiecta.

Quod si non sentiatur dolor aut delectatio vlla circa cor præter dolorem aut delectationem sensus tactus, qualem habemus etiam in manu aut pede, tum vnus omnino appetitus ponendus est, quo & eliciat operationes, & moueat ad passionibus molestia & voluptatis, & solum possunt admitti diuersa organa appetitus irascibilis & concupiscibilis, quatenus diuersæ sunt partes corporis, in quibus sentiuntur per sensum tactus alterationes diuersæ, quando proponuntur obiecta appetitus conuenientia aut disconuenientia, nec aliud velle censendus est Scotus, sicut nec aliud concludit eius ratio.

12. Vnde in forma *Respond*eo primo, iuxta primum modum dicendi distinguendo subsumptum; Sunt organa appetituum, qui mouentur passionibus; non vero operationibus prosecutionis & fuge, concedo subsumptum: sunt organa appetitus operatiui, nego subsumptum, & similiter distinguo vtrumque consequens, concedendo consequentiam de appetitu non operatiuo, & negando eam de operatiuo.

*Respond*eo secundo, iuxta secundam viam etiam distinguendo subsumptum: istæ partes sunt organa appetitus, in quibus actus & passionibus propriæ ipsiusmet appetitus exercentur & inhaerent, nego: sunt organa eius, quatenus in iis fiunt aliæ alterationes consequentes actus & passionibus proprias appetitus, concedo subsumptum: & similiter distinguo primum consequens, & nego secundam consequentiam.

Ad quam Responsionem confirmandam conducere potest exemplum de alterationibus palloris & ruboris; quæ apparent in facie ex motibus internis appetitus, cū tamen organum appetitus non dicatur ab vlllo esse facies: nā similiter quamuis ad actus seu motus internos appetitus, sentiremus interius in corde, aut circa cor siue in diuersis partibus, siue in eadem, diuersas alterationes, nō potest sequi inde, quod organum appetitus sint illæ partes, aut, quod actus appetitus subiecerentur in illis. *Solum mihi facit difficultatem*, quantum ad hanc doctrinam, ne quid dissimulem, quod quantum ad experientiam nostrā attinet, ipsimet motus delectationis & doloris, quos videmus nobis percipere in parte nostra sensitua, appareat nobis in corde, aut circa cor, & nō solum appareant nobis ibi aliæ alterationes; sed quando rubescimus aut pallemus in facie, non apparent nobis esse in facie nostra operationes, aut passionibus appetitus interni, sed solum sentimus per tactum alterationem aliquam: vnde quamuis non debeamus dicere quod appetitus, aut motus proprius eius sint in facie, non inde sequitur quin debeamus dicere quod sit in corde, aut circa cor.

13. *Ex hac tamen ipsa difficultate*, non sequitur plurificari debere appetitum, sed ad summum eum ponendum in corde, aut circa cor, & hoc nō esset inconueniens, nisi quatenus inconueniens esset ponere in corde sensum cognoscitiuum internum; quantum autem ad me attinet, vbi collem ponere vtrumque in corde, quam eos inter se distinguere realiter; vnde quandoquidem vbiicumque debet collocari vnus, debet collocari alter propter identitatem realem ipsorum, quæ ex principiis huius Conclusionis colligitur, cum nō sit vlla ratio, cur debeant poni in corde, aut circa cor, quàm quod ea in parte videamur nobis sentire motus appetitus; quādoquidem etiā videamur nobis æque sentire in capite motus sensus interni, nō magis ex experientia debemus dicere, quod sint ponendi in

vbi collem ponere vtrumque in corde, quam eos inter se distinguere realiter; vnde quandoquidem vbiicumque debet collocari vnus, debet collocari alter propter identitatem realem ipsorum, quæ ex principiis huius Conclusionis colligitur, cum nō sit vlla ratio, cur debeant poni in corde, aut circa cor, quàm quod ea in parte videamur nobis sentire motus appetitus; quādoquidem etiā videamur nobis æque sentire in capite motus sensus interni, nō magis ex experientia debemus dicere, quod sint ponendi in

in corde, quam in capite; imò potius debet dici quod in capite, quia facilius est nobis decipi ex experientia, quam videtur nobis habere de existentia motuum appetitus in corde, in quo reperiuntur aliæ alterationes spectantes ad tactum; quam ex experientia, quam videtur nobis habere de existentia actuum sensus interni in capite, quia non adsunt aliæ alterationes ibi, quæ decipiendi occasionem dent, sicut adsunt in corde, aut circa cor. Ex quo patet quid sit dicendum organum appetitus.

Faber in sua Metaphysica, disp. 6. identificat realiter appetitum sensitivum, tam concupiscibilem, quam irascibilem potentia cognoscitivam; sed tenet tamen utrumque appetitum habere organa realiter distincta: unde videtur capere potentias animæ etiam sensitivæ pro aliquo identificato ipsiusmet animabus, non vero pro aliquo identificato toti composito ex anima, & corpore: nos autem hic loquimur de potentis sensitivis convenientibus toti corpori, & vel identificatis ipsi in nostra sententia, vel subiectatis in ipso, si essent accidentia realiter distincta, ut tenent Thomistæ. Sed nec videtur consequenter loqui in ipsa sua sententia: nam si isti appetitus habent organa realiter distincta, ut ipse asserit, ipsiusmet appetitus erunt realiter distincti in omnibus animantibus præter homines; quod probò evidentius, quia si organa illa sint distincta realiter, quandoquidem omnes animæ, præter rationalem sint indivisibiles in partes integrales correspondentes diversis partibus corporis, sequitur evidenter, quod non sit eadem realiter pars animæ, quæ correspondet utrique isti organo, sed quod sua propria cuique parti conveniat; sed certum etiam videtur quod illa operatio, quæ est in vno organo producta ab anima, potius ab illa parte animæ, quæ inhæret isti organo, producat, quam à parte inhærente alteri organo: ergo potentia irascibilis, etiam si identificetur animæ, debet identificari isti parti animæ, quæ inhæret suo organo; & similiter potentia concupiscibilis debet identificari isti parti animæ, quæ inhæret suo organo; & consequenter, sicut illæ duæ partes realiter distinguuntur, ita etiam appetitus illi identificati ipsis, debent realiter distingui. Quod si velit, quod appetitus uterque in homine, in quo est unica tantum anima rationalis indivisibilis, identificetur, sicut identificatur animæ, id quidem verum est quia parte ille appetitus concomitatur animam. Sed ipse videtur universalius loqui de omni appetitu concupiscibili, & irascibili, tam hominis quam brutorum.

CONCLUSIO II.

14. Datur in appetitu sensitivo pars concupiscibilis, & irascibilis, quæ tamen non distinguuntur realiter, sed unus & idem realis appetitus vocatur concupiscibilis, quatenus principare potest aliquos actus irascibilis vero quatenus principat alios diversæ rationis.

Hæc quoad primam partem est communissima cum *D. Augustino de spiritu & littera, D. Hieronymo super cap. 13. Math. Damasceno lib. 2. de fide, Aristot. 3. de anima, text. 46.*

Probatur autem, quia in appetitu est aliquid, per quod feruntur in bonum, & in bonum arduum, & in impedimentum boni; sed illud, à quo habet ferri in bonum, est pars concupiscibilis; & illud, à quo feritur in bonum arduum, seu in impedimentum boni, est pars irascibilis: ergo datur in appetitu pars concupiscibilis, & irascibilis.

Secunda pars, quæ est contra adversarios præcedentis conclusionis, probatur ex dictis in eadem conclusione.

Probatur denique tertia pars: quia ex suppositione secundæ partis idem ipsum, quod est concupiscibile, est irascibile, nec potest dici concupiscibile & non irascibile, nisi ut principatium aliquorum particularium actuum; nec irascibile, & non concupiscibile, nisi ut principatium aliorum actuum determinatorum, quod omnes fatentur.

CONCLUSIO III.

15. Non bene describitur pars concupiscibilis esse illa, quæ feritur in bonum, & irascibilis, quæ feritur in bonum ar-

duum. Hæc est Doctoris supra cum suis contra D. Thomam 1.2. q. 23. art. 1. & Henricum quodlibet. 8. q. 15.

Probatur, pars concupiscibilis tendere potest in obiectum virtutis, sed obiectum virtutis est bonum arduum: ergo pars concupiscibilis tendit in bonum arduum, & consequenter male distinguitur ab irascibili per hoc quod hæc tendat in bonum arduum, illa non item.

Confirmatur: quia pars concupiscibilis tendit in omne illud, in quod virtus in ipso subiectata tendere potest: sed virtus aliqua subiectata in parte concupiscibili tendit in bonum arduum: ergo.

Probatur minor, tum quia omnis virtus videtur versari circa difficile, aliàs facile esset acquirere virtutes; tum quia Charitas, & Temperantia, quæ spectant ad partem concupiscibilem, sine dubio versantur circa bonum difficile, ut patet experientia; immoderato enim valde difficile est temperate vivere; & diligere Deum super omnia & proximum sicut se ipsum, & maxime inimicum, est difficile cuiusque; & ex illa difficultate oritur, ut sæpe committatur defectus contra utramque virtutem.

Nec refert si dicās cum Thomistis, Charitatem & Temperantiam non spectare ad partem concupiscibilem, quia spectant ad voluntatem, in qua non est pars concupiscibilis.

Nam in primis, falsum est quod non sit utraque illa pars, etiam in voluntate, potest enim voluntas ferri circa bonum, & bonum arduum, & impedimentum boni: ergo non minus in illa, quam in parte sensitiva, ponendæ sunt illæ partes. Nec enim potius dicendæ sunt poni in parte sensitiva illæ partes ex eo quod feratur in bonum sensibile quandoque, & quandoque in bonum sensibile arduum, aut in impedimentum boni sensibile arduum, quam in voluntate ex eo quod feratur in bonum non sensibile, & in bonum non sensibile arduum, ac impedimentum eius, ut videtur manifestum.

Deinde, quamvis ex hac doctrina exemplum Charitatis non esset ad propositum, manet adhuc exemplum Temperantiæ, quæ spectat ad partem sensitivam.

CONCLUSIO IV.

16. Melius describitur pars concupiscibilis illa, quæ feritur in bonum, siue arduum, siue non, illud prosequendo quibuscumque actibus illud prosequitur, exceptis actibus, quibus vindicatur prosequitur impedimenta ipsius; pars vero irascibilis est illa, quæ prosequitur impedimenta eius vindicatur. Hæc est Doctoris supra, & suorum contra Thomistas.

Patet autem, tum quia ex suppositione conclusionis præcedentis, non possunt hæ partes melius explicari; tum quia per hanc distinctionem sufficienter distinguuntur hæ partes inter se; tum denique, quia ex ipso nomine irascibilis satis congrue illi parti debet ascribi ferri cum vindicta in impedimentum boni, & alteri parti concupiscibili, etiam ex ipso nomine, omnis alius actus circa bonum ascribi potest: ergo hoc modo bene describuntur. Quod totum, ut melius intelligatur, declarandum est exemplo. Quando proponitur homini quoad partem sensitivam cibis conveniens, & gratus, solet desiderare sibi illum, & applicare media ad eius consecutionem, tollere etiam consequenter impedimenta, timere ne ponatur aliquod impedimentum, sperare consecutionem, dolere de absentia; & omnes isti actus possunt provenire à parte concupiscibili, adeo, ut si distinguerentur realiter concupiscibilis, & irascibilis, & maneret in homine sola pars concupiscibilis, omnes hos actus habere posset; quod mihi videtur evidens.

Præterea, potest homo, quando videt impedimentum aliquod positum, non solum desiderare, & procurare ablationem eius, sed etiam cum indignatione, & ita illud reicere, ac vindicare, quandoque etiam per destructionem eius, & desiderare, procurare, sperare talem vindictam, de eaque facta gaudere, timere ne fiat, & dolere quod non fiat: & omnes huiusmodi actus possunt dici spectare ad irascibilem, unde ex illis nullus haberetur, si distinguerentur realiter illæ partes, & sola concupiscibilis maneret. Quia vero non solet appetitus ferri in

quæ fer-
tur in bo-
num, &
irascibilis
in bonum
arduum.

Pars con-
cupiscibi-
lis & ira-
scibilis
reperiun-
tur in vo-
luntate.

Descri-
ptio par-
tis concu-
piscibilis,
& irasci-
bilis.

Concu-
piscibilis
non est

impe

impedimenta boni concupiti hoc modo vindicatio, nisi ponatur impedimentum aliquod graue, propterea potest dici quod obiectum ipsius sit bonum arduum, intelligendo per bonum arduum non bonum quomodocumque difficile, sed bonum difficile ex impedimento aliquo graui, quod solet causare huiusmodi motus vindicatio; & intelligendo bonum arduum hoc modo, posset concupiscibilis, & irascibilis distingui per hoc, quod hæc versaretur circa bonum arduum, & illa circa bonum non arduum, & in hoc sensu posset bene explicari sententia Thomistarum, & conciliari cum nostris, sed neque ipsimet sic explicant illam, nec sic reiecta est in conclusione præcedenti, sed in alio sensu specificato in probationibus, qui est sensus ipsorum.

Quo sensu bonum arduum posset ita tui obiectum irascibilis.

17. Dicit contra hanc explicationem, omnis actus, qui potest esse circa medium acquirendi boni concupiti, potest provenire à parte concupiscibili; sed vindicta de impedimento potest esse tale medium: ergo potest provenire à concupiscibili, nec debet necessario provenire ab irascibili: ergo male distinguitur utraque pars per hoc.

Respondeo ex dictis in commentario ad Doctorem supra num. 69. distinguendo maiorem: ut medium formaliter, concedo maiorem: alio modo nego maiorem; & concessa minori distinguo consequens; ut est medium, concedo: alio modo, nego consequentiam, & nego ultimam consequentiam. Itaque pars irascibilis non fertur vindictive in impedimenta, ut media sunt, seu in ordine ad consecutionem finis, quia etiam fertur in illa sic, quando desperatur de fine: & quando non consideratur talis modus ferendi, ut necessarius ad finem, aut utilis; quando enim simplex remotio impedimenti absque destructione posset sufficere ad finem acquirendum, destructio impedimenti non esset necessaria, nec medium eius acquirendi, ut patet: ergo tum non vellet quis destructionem, ut medium. Pars autem concupiscibilis nunquam fertur in illam vindictam, nisi quatenus, vel est necessaria, aut utilis, vel consideratur ut talis in ordine ad consecutionem finis. Quod vale aduertendum est.

Quomodo appetitus sensitivus subditur voluntati.

18. Quærit hic primo, quomodo appetitus sensitivus subditur voluntati, despotice, an politice: Ut resolvatur hoc quæstum, aduertendum, quod subiectio despotica vocetur illa, qua quis ad nutum absque resistantia obedit alteri in omnibus occasionibus, quibus alter imperat & talis deberet esse obedientia mancipiorum dominis suis, præsertim quoad omnia, quæ non appaterent manifestè esse contra rectam rationem, & à quorum executione non possent se defendere. Subiectio vero politica est, qua quis obedit quidem alteri, ut plurimum, sed non tamen semper ita, quin resistat aliquando, vel quia apparet, non esse obediendum, vel quia potest defendere se à coactione; & talis videtur esse obedientia Reipublicæ, ad Principem, cui nonnunquam resistit. Hoc supposito, quod ad nomen spectat,

Respondeo, subiectionem appetitus, quantum ad actus externos suos, qui ab ipso & potentia locomotiva exeunt, esse omnino despoticam, adeo, ut necessario debeat cessare ab illis nolente voluntate; quoad actus vero internos, & passiones, est potius similis politice, quantum ad hoc, quod non obediatur semper.

Hæc resolutio non solet hoc modo proponi, sed absolute communis sententia cum Doctore 2. dist. 29. & D. Thoma 1. 2. qu. 17. art. 7. tenet quod subiectio appetitus ad voluntatem sit politica non despotica.

Probatur tamen prima pars, quia experientia constat, quoties volumus efficaciter non habere actus illos externos, quantumvis desiderentur à parte sensitiva, & sentiamus displicentiam quod non habeantur; eos non haberi. Cuius etiam ratio à priori potest esse, quod appetitus dependeat, vel ab imperio voluntatis, vel à non contrarietate ipsius, tanquam à conditione sine qua non, in ordine ad illos actus: ergo quoties non vult voluntas, non poterit habere tales actus.

19. Dicitur: hæc sit ut percipiamus aliquem etiam usque

ad interfectionem, sine dependentia ab actu voluntatis: ergo non habet talem subordinationem appetitus ad voluntatem.

Probatur antecedens, quia si isti motus essent dependentes à voluntate, peccaret quis; quod est contra omnes, quia omnes Theologi negant quem peccare per motus, quos vocant primo primos, qualis esset ille motus, de quo fit mentio in replica.

Respondeo, distinguendo antecedens: independenter à voluntate, quantum ad hoc, quod fiat absque ullo imperio, aut actu voluntatis, transeat; quantum ad hoc, quod non fieret si voluntas efficaciter nollet, nego antecedens, & consequentiam. Similiter distinguo antecedentis probationem: si essent dependentes à voluntate volente, aut imperante illos, saltem cum deliberatione, concedo: si essent dependentes à voluntate in hoc sensu, quod non essent, si voluntas nollet efficaciter eos esse, nego.

Vice: si voluntas posset impedire per nolitionem, peccaret non impediendo: ergo adhuc isti motus nequeunt esse absque peccato: & consequenter, vel voluntas non potest impedire per nolitionem, vel semper erunt peccata.

Respondeo, distinguendo antecedens: modo posset habere nolitionem, concedo: quando non posset, nego antecedens. Itaque aliud est, quod si voluntas haberet nolitionem, cessarent isti motus, & hoc est quod intendo; aliud est, quod semper posset habere illam; & hoc non assero, quia non semper deberent proponi motus ut nolendi voluntati, quoties habentur à parte sensitiva. Quod si etiam motus ille fiat positus à voluntate, adhuc dicendum quod non sint semper peccaminosi, quia ad hoc requireretur ut producerentur à voluntate cum deliberatione, id autem non semper esset necessarium.

Probatur iam secunda pars, quia certum est etiam experientia, quod, quamvis voluntas nollet efficacissime, ut sint motus in parte sensitiva, non propterea eos desistere; & hinc uti debet magna diligentia ad eos sedandos, nec credo eam posse eos impedire vlla ratione, nisi avertendo obiecta, à quibus causantur; quod non est in manu eius sic, quin ea invita aliquando maneant, aut occurrant de nouo illa obiecta. Quod magis patebit ex dicendis de modo quo causantur motus, & actus partis sensitivæ.

21. Quærit, quomodo appetitus sensitivus concurrat cum potentia locomotiva ad motum localem. Supponit quæstum hoc, motum localem organicum, & sensitivum, qui præsupponit cognitionem, habere aliquam dependentiam ab actu appetitus; & quærit qualem habeat, an dependentiam, tanquam à conditione sine qua non præsupposita, & non tanquam à causa physica partialiter concurrente, an vero tanquam à causa physica partiali ex suppositione quod detur alia virtus locomotiva in membris externis animalis distincta ab appetitu & actu eius; & dico ex ista suppositione, quia si non supponeretur talis virtus locomotiva, tum certum est quod motus ille localis deberet provenire ab appetitu mediante suo actu tanquam à causa totali physica, ni forte in hominibus concurrat etiam cum illis voluntas physice, quod non facit ad præsens.

Respondeo, ergo quod appetitus cum suo actu concurrat per modum cause physice immediate ad motum hunc localem: cuius ratio est, tum quod necessario prærequiratur talis actus ad illum motum, ab eoque proveniat determinatio eius quoad hanc, vel illam partem, talem vel talem modum, tum quod nihil impediat quo minus sit causa physica tum denique, quod difficile sit assignare quomodo se habeat per modum conditionis sine qua non tantum.

22. Quod si rursus quæras, an reuera detur in membris alia virtus locomotiva partialis distincta ab appetitu.

Respondeo, mihi videri quod non, primo; quia illa ipsa virtus deberet esse vitalis, & sensitiva: non autem esset, quia

Quomodo appetitus sensitivus concurrat cum potentia locomotiva ad motum localem.

An detur in membris externis alia virtus locomotiva.

quia vel esset externa sensitiva, vel interna; non externa, ut patet, quia quinque tantum sunt sensus externi: non etiam interna, quia vel esset cognoscitiva, vel appetitiva: non primum, ut certum est; ergo secundum; & consequenter non est distincta ab appetitu interno. Secundo, quia non sunt multiplicandæ potentia sine necessitate: solus autem appetitus internus ubiqueque residet, siue in capite, siue in corde, aut circa cor, sufficit ad principium motum localem: ergo non est ponenda alia potentia, aut virtus ad eum principium.

Dicas, experientia constare quod non sequatur motus localis alicuius membri aliquando, etiam cum valde appetimus illum: ergo non sufficit appetitus ad ponendum illum motum, sed debet poni alia virtus in membris.

Respondet, distinguendo antecedens: quando membrum illud est dispositum in se sufficienter, & non impeditum ab extrinseco, nego: quando non est in se dispositum, aut est impeditum ab extrinseco, concedo antecedens, & nego consequentiam pro secunda parte.

23. Si denique quæras, an appetitus per ipsum motum suum actum formaliter absque ulteriori actione producat illum motum, aut per actionem distinctam;

Respondet, quod non per suum actum solum, quia ille potest esse absque motu, ut in casu replicæ paulo ante posita, quando scilicet poneretur impedimentum ex parte membri mouendi; actio vero causæ efficientis non potest esse absque suo termino, nec illud, quod habet rationem talis actionis, ut patet: producit ergo motum illum mediante alia actione de prædicamento actionis, non minus quam cæteræ causæ efficientes producant suos effectus, & illa actio subiectatur immediate in ipso actu, & non in appetitu: tum quia actus requiritur ad motum, & nil impedit quominus requiratur tanquam causa immediata; tum quia sic facilius est ostendere quomodo non sequi possit actio illa in appetitu, quamvis non esset in eo actus; si enim actus ipse non haberet influxum, difficile esset ostendere, cur non posset esse actio terminata ad motum, quamvis non esset actus. Dicere autem quod ratio huius esset, quod actio terminata ad motum, & actus appetitus haberent subordinationem talem inter se, ut actio non posset esse absque appetitu, est inconueniens, nisi possit inter actum appetitus, & actionem illam ostendi aliqua ratio particularis ex natura sua, ratione cuius haberent illam subordinationem.

Eodem autem modo, quo discurritur de concursu appetitus cum potentia locomotiva ad motum, debet discurrere de concursu voluntatis cum appetitu ad motum localem omnem appetitus, qui non possit haberi sine imperio voluntatis propter eandem rationem; sed si sit aliquis motus localis in hominibus, qui possit haberi absque actu voluntatis, ut est motus ille fortassis, quo dormientes se quandoque mouent, dicendum est quod ille motus non dependeat à voluntate, nisi quatenus voluntas per nolitionem possit impedire illum; & existimo quod nec sic etiam impediatur per nolitionem præcisè, sed quatenus ad illam nolitionem sequitur productio, vel conseruatio physica alicuius alterius effectus impossibilis cum illo motu.

QVÆSTIO III.

De passionibus, & motibus appetitus sensitui.

24. Experientia compertum est reperiri in nobis quosdam motus interiores gaudij, timoris, & similes alios, quos in parte etiam corporea nostra excitari colligitur, quia similes reperiuntur in aliis animalibus, cum quibus conuenimus in ratione animalis. De his ergo motibus in generali, eorumque diuisione hic agendum; sed ante omnia aduertendum, quod quamvis non solum omnes huiusmodi motus possint appellari passionibus, quia iis mediantibus patimur sine eo, quod feramur in obiecta aliqua quasi actiue volendo, aut fugiendo ipsa; sed etiam similes motus, qui in parte rationali etiam reperiuntur: quis enim neget animam separatam, & Angelos moueri posse suis delectationibus, & timoribus: tamen ex com-

muniiori acceptatione soli illi, qui in parte corporea sentiuntur, passionibus nuncupantur; imo secundum multos, non omnes motus huiusmodi corporei censendi sunt passionibus, sed qui impellunt ad malum; & iuxta hoc solui posset illa quæstio, an passio possit esse cum virtute morali: nam, si per passionem intelligeretur motus inclinans ad malum, virtus moralis perfecta cum ea consistere nequit, quia hæc tolleretur omnem difficultatem, & consequenter non relinqueretur inclinationem ad oppositum, quia illa inclinatio faceret exercitium virtutis difficile; posset tamen cum passione esse virtus imperfecta: loquor autem de virtute habituali, quia actualis virtus valde perfecta posset esse cum summa difficultate, imò actus virtutis cæteris paribus magis est meritorius, & bonus quo magis sit cum difficultate. Si autem loquamur de passionibus in latiori significatione, ut comprehendunt omnes motus partis sensitivæ aut voluntatis, qui non sunt actus aut operationes, quibus tendit in obiectum aut recedit ab ipso, possunt sine dubio ij, qui non inclinant ad malum, nec reddunt difficile exercitium virtutis, esse cum virtute. *Quod totum confirmatur*, & ex eo quod aliquis possit absque peccato irasci, iuxta illud *Psalm. 4. Irascimini & nolite peccare*, & ex tristitia Christi Domini, cuius anima erat tristis vsque ad mortem.

Ex quo etiam colligitur hos motus omnes non esse vituperabiles, sed & licere quandoque eos excitare, tum ad impellendos nos ad exercendos actus virtutum; tum etiam ad acquirendum habitum iis resistendi, quando nobis inuitis excitarentur; unde merito *Plato* igniculos, *Aristoteles* arma virtutum eos appellat, & *Plutarchus* asserit non esse sapientis eos radicitus quællere.

25. Hi ergo motus varie ab authoribus diuiduntur, & primo quidem in eos, qui spectant ad partem concupiscibilem, ut amor, desiderium, delectatio, odium, fuga, tristitia, & in eos qui spectant ad partem irascibilem, ut spes, desperatio, timor, audacia, ira. Sed quamvis non dubitem, quin satis adequatè diuidi possint passionibus omnes in spectantes ad concupiscibilem, & irascibilem; tamen quod assignetur amor & odium ac delectatio, &c. parti concupiscibili, & spes, timor & desperatio ad partem irascibilem, non placet vlla ratione, quia quandoquidem concupiscibilis sit quæ versetur circa bonum quod non est impeditum, & irascibilis circa impedimentum, certum est quod spes & timor possit esse in concupiscibili; nam etiam timemus malum oppositum bono, quod est impedimentum, & speramus nos tale bonum consequuturos.

Deinde sicut per partem irascibilem volumus cum indignatione remouere impedimentum, & id speramus, ac timemus ne non possimus ipsum remouere, ita etiam quoties sic remouemus ipsum, delectamur, sicut & quando cognoscimus certo, quod sit sic remouendum.

Alia diuisio est in eas, quæ à bono, & eas, quæ à malo proposito per cognitionem causantur siue immediate, siue mediante actu. Hæc diuisio est bona & adæquata, sed non in species infimas, verum in subalternas diuisibiles ulterius in varias alias species.

26. Tertio, possunt diuidi adæquate tanquam in species subalternas non infimas, in voluptatem & dolorem, intelligendo per voluptatem omnem passionem gratam, & per dolorem, omnem passionem, aut motum, qui esset ingratus.

Quarto, possunt diuidi in bonos, & malos, intelligendo per bonos, qui iuuant, seu impellunt ad bonum, & per malos, qui iuuant ad malum. Quæ diuisio est quidem adæquata, sed non in membra necessario essentialiter ita distincta, quin eadem passio possit quandoque esse bona, quandoque mala; nam motus voluptatis, quem cibis propositus causat in sensu, impelleret ad bonum quando bonum esset comedere, & ad malum quando non esset id bonum, sed prohibitum.

Variis etiam aliis modis diuidi possunt, quos inutile esset proponere: sufficit enim naturam passionum cognoscere, & hoc poterit fieri agendo de illis in particulari: ex hoc autem facile poterit quis eas varie diuidere, & discernere

X x x ex

An passio possit esse cum virtute morali.

Varie diuisiones passionibus.

Spes spectat ad concupiscibilem partem.

Delectatio spectat ad irascibilem.

Appetitus producit motum localem per actionem distinctam à suo actu.

Item & voluntas.